



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

IOANNI BAPTISTAE S.R.E. CARDINALI RE

Venerabili Fratri Nostro

IOANNI BAPTISTAE S.R.E. Cardinali RE

Collegii Cardinalium Decano

Maior aurora resplendet inter angelos pulchritudo gloriae Beatissimae Virginis Mariae, quae “amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim” (*Apc* 12,1) tamquam Regina et Mater super hominum aeternam salutem amanter suaviterque evigilat. Cuius tuto praesidio christifideles firmiter confidunt, qui ad eius praeclaram effigiem Oropensem iam a sescentis annis peregrinantur, atque per hanc Dominam Nigram, quae formosa est sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salma (cfr *Ct* 1,5), copiosas gratias a Deo pleno misericordiae recipiunt.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Roberti Farinella, Episcopi Bugellensis, celebre simulacrum Beatissimae Virginis Mariae in montibus Bugellae, Dominae Nigrae titulo appellatum, corona aurea rursus coronatum iri, sicut ab anno MDCXX centesimo quoque anno fieri solet. Quapropter Egregius Praesul humanissime quaesivit ad sollemniolem efficiendum memoratum coronationis ritum magisque honorandam Deiparam Virginem Mariam, ut Nos Patrem Purpuratum eligamus, qui apud hoc sanctuarium inter Missarum sollemnia personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui praees Collegio Cardinalium atque multos per annos Nobis Nostrisque Praedecessoribus magno animo praestas auxilium, ad memoratam celebrationem fidenter destinamus, ut Nostro nomine effigiem Dominae Nigrae sollemniter novo diademate coronet. Itaque hisce Litteris Legatum Nostrum te nominamus ad supra dictum incoronationis officium sollemni modo explendum die XXIX mensis Augusti Oropae.

Cum vero liturgicis ritibus praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis

salutationem, praesertim illius communitatis Pastori. Populum deinde congregatum ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem piissime colat: non tamen verbis, sed tali modo - sicut mire vultus Mariae et Iesu sine ullo pulvere quotannis invenitur ut animaeque christifidelium sine macula peccati magis magisque fiant.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctissimae Dei Genetricis Mariae eiusque Sponsi sancti Ioseph, cui hic annus praecipue est deditus, necnon sancti Eusebii Vercellensis, qui illis in partibus Italiae Evangelium praedicabat. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Augusti, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

FRANCISCUS